

remus, provida deliberatione et tractatu diligenti praehabitis, tria talenta denariorum annui census in villa Dubenicz iuxta Lommacz sita iusto emptionis et venditionis titulo interveniente domino Heinricho quondam plebano in Purcowe^{a)} pro viginti tribus marcis Vribergensis ponderis et argenti vendidimus ad tempora vitae suae. Cuius quidem pecuniae solutionem in totum nobis fatemur fore factam, dicto vero domino Heinricho de huius vitae medio sublato iam dicta talenta ad nos nostrumque conventum revertentur, tali conditione adiecta, ut pro suo anniversario in ecclesia nostra singulis annis peragendo unum talentum dominabus aequaliter distribuatur, secundum talentum pro una lampade ardente in choro ecclesiae nostrae in oleo perpetuo procuranda custodi ecclesiae nostrae, quae pro tempore fuerit, praesentetur. Si quis istam ordinationem ausu temerario violare praesumpserit, hunc deus a consortio iustorum eiiciat reprobisque associet aeternis ignibus cruciandum. Tertium autem talentum ad nostrum praepositum, qui pro tempore fuerit, libere revertetur in usus nostrae ecclesiae convertendum. In quorum omnium memoriam hanc cartam conscribi fecimus sigillorum nostri conventus et capituli Myssnensis ecclesiae munimine communitam. Datum et actum apud sanctam Crucem anno domini M°.CCC°.XII°. tertio Nonas Septembris. Huius rei testes sunt dominus Heinrichus de Sweine maior praepositus ecclesiae Mynensis, dominus Albertus de Luppia archidiaconus Nysicensis, Reinhardus canonicus ecclesiae praedictae, Lutoldus cantor ecclesiae antedictae, Heinrichus de Werczislavia praepositus Haynensis, Otto de Dony archidiaconus Lusaciae, Jacobus plebanus de Lamprechwalde et praepositus dominarum loci supradicti, magister Syboto, Petrus de Budissin, magister Johannes de Spremberch perpetui vicarii ecclesiae saepedictae et alii quam plures fide digni.

Nach dem Orig. wie No. 415; die an Pergamentstreifen befestigt gewesenen Siegel sind abgefallen.

a) Burkau bei Bischofswerda.

No. 418. 1317. 18. Mai.

Der Probst und der Convent zum h. Kreuz verkaufen, um dringendem Mangel abzuhelfen, einige Zinsen in Meissen an den Vicar der Domkirche Hartmann.

In nomine domini amen. Albertus¹⁾ dei gracia praepositus, Margareta abbatisa, Konegundis priorissa totusque conventus sanctimonialium claustrae sanctae Crucis prope Misnam recognoscimus coram cunctis Cristi fidelibus tam futuri temporis quam moderni scriptum praesens visuris vel audituris publice profitentes, quod cum propter magnam necessitatem ad praesens nos urgentem²⁾ non habentes equos, quibus agri colerentur, nec semina, quibus possent seminari, habito discretorum consilio elegimus minus potius quam dampnum gravius sustinere, XXIII solidos denariorum iacentes in Misna in curia Heckelmanni³⁾, XVIII solidos in curia secunda iacente⁴⁾ versus Albeam, III solidos in tertia curia adiacente, II solidos legalium denariorum, istam summam denariorum decrevimus utilius vendere quam agros incultos et sine semine

1) *In nomine domini amen* fehlt und die Urkunde beginnt: *Nos Albertus B.* 2) Statt *propter — urgentem* in B *gravi indigentia premeremur.* 3) *Heckenmanni B.* 4) *iacens A. u. B.*